



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## In Genesis Enarratio

**Chyträus, David**

**Vitebergæ**

**VD16 C 2625**

III. De Emptione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36126**

uitæ restitutionem, ubi promissio de liberatore uen-  
turo edita erat.

## III.

## DE EMPTIONE.

Cōtractus sunt res honestæ, et Dei ordinationes,  
humano generi traditæ, non tantum propter usus  
uitæ necessarios, sed etiam, ut de Deo nos commune  
faciant. Et enim in cōtractibus seruanda est Arith-  
metica æqualitas, quam iusticia commutatiua requi-  
rit: Sic Deus cum sit iustus, uere est æqualis erga o-  
mnes æqualiter sese habentes iuxta unam normam  
quam proposuit, uerè recipit omnes confugientes  
ad filium, reijcit omnes contemnentes filium & c.

Ostendit aut̃ hæc descriptio Emptionis Abrahæ,  
quanta grauitate sapiens antiquitas contractus ex-  
ercuerit. Contrahit n. Abraham in publico loco, in  
porta seu curia, adfissentibus plerisq; ciuibus, data et  
accepta utriusq; stipulatione, & numerato precio,  
uidelicet 400 Siclis, qui efficiunt nostræ monetæ du-  
centos aureos Rhenanos, uel 160 Coronatos.

Nam unus Siclus quatuor drachmas seu dena-  
rios continebat. Iam una drachma apud nos ualet  
quatuor solidis Lubecanis, quorum 3 2 efficiunt au-  
reum Rhenensem.

Exod. 30. precipitur filijs Israël, ut singuli quot-  
annis dimidium Sicli, hoc est, quartam partem aurei  
Rhenani ad conseruationem ministerij & Templi  
conferant.

CAPVT